

9305.

1773 63

Observationum Iuridicarum

*Specimen Academicum
scripsit*

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
S V B P R A E S I D I O

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERI

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISBVRG. CAPITVL.
CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLT.

IVRID. ASSESSORIS ET ACADEMIAE.

DECEMVIRI

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXX. SEPT. MDCCCLXXIII.

AD DISPVTA NDVM PVBLICE PROPONIT

CARL GOTTLLOB GVNTH ER

L V B B E N A L V S A T.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Opusculum in medicina

Primum. Ante primam

lectio

ta

HISTORIAE BOTANICAE ORDINIS MEDICALIS

SAB. PRESTIDI

D. RUD. GOTTLER. ZOLLERI

COR. M. O. ECKSTEIN. GALLAND. VITTELLIUS. GALLAU.

CHARAE IN THERAPEUTICA. ZEPHYRINA. MELON. THYMAL.

TARWI. VERRUBORIS. ET AGADENIAE

DECIMARI

IN AVANTIO BOTANICA

A. O. XX. SNT. MDCCCLXII

AD DISPUTANDAM. PARVIC. TROTONI.

CVRP. GOTTLER. CANTINI

ET. SEBASTIAN. DABALA

PLATIA

ET. OTTICIA. TURPINI.

REVERENDISSIMO, PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
IOANNI NICOLAO
A MAXEN

HEREDITARIO IN OEGELN, CVMMELTITZ,
WELTHO, MEHLEN ET STREGA, SERENISSIMO
ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS INTIMIS,
PRAEFECTO AERARII ELECTORALIS IN
MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS, ORDINIS
ST. IOANNIS EQVITI, COMMENDATORI
DESIGNATO IN SVPPLINBVRG

MAECENATI OPTIMO MAXIMO

NEC NON

REVERENDISSIMO PERITISSIMO
EXCELSISSIMO DOMINO
JOANNI NICOLAO MAXEN

HISTORIA IN SEQUITUR CUMULATIS
MAGNIS MIRABILIBUS ET STERICOS, EX FENESTRIS
INTERIORIBVS AERIALIBVS CONSIDERATIS, VITRINES
TRAVEBVS AERIALIBVS PLEXOGRAVIS, IN
MAGNIS STANTIBVS ET STERICOS, ODISINI
ET JOANNIS BEATI COMMUNICATORI
DESIGNATA IN STYLIS

MAECENATI OPTIMO MAXIMO

NIC. MON.

HOC QVI LIBERIAE
PERILLVSTRI
AC
GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO GVILELMO
DE CARLOWITZ

HEREDITARIO IN OHORN ET OBERSTEINA
S. R. I. EQVITI AVRATO, SERENISSIMI ELECTORIS
SAXONIAE PRAEFECTO CAMERAE ET
CONSLIARIO AVLAE ATQVE
IVSTITIAE CET.

MAECENATI OPTIMO MAXIMO

HOC QVALECVNQUE
ACADEMICORVM STUDIORVM
SPECIMEN
IN PIETATIS OBSERVANTIAEQUE
CAROLO QVALLIMO
DE CARLOWITZ
HEREDITARIO IN OTHONI ET OPPORTUNA
S A L E S VITI AVRATO, SILENTISSIMI SECTORI
SAVONAROLAE THERETICO CAMERALE
CONSI D: D: D:
TANTORVM NOMINVM

MECENTI OPTIMO MAXIMO

cultor obseruantissimus
AVCTOR.



OBRE RAVATO I



Cum academica finire constituissim studia, hoc non fieri poterat, nisi ante omnia, lege ita iubente, studiorum meorum rationem publice reddiderim. Quod cum dissertatione, quam vocant, aliqua edenda eaque publice defendenda fieri soleat, etiam ego hac in re vires meas experiri mecum constitui. Quaminam autem potissimum eligerem materiam diu haesitau. Nulla enim fere, immensa huius generis scriptorum mole existente, iuris materia supereft, quae non iam sit praeoccupata et penitus fere exhausta. Tandem temporis quoque angustia suadente, consilium cepi varias ex iure materias, de quibus in vtramque partem adhuc disputari sciebam, contra vulgarem minusque rectam, vt mihi videbatur, DD. opinionem defendendi. Liberabat me hoc consilium a necessitate vnicum thema pertractando centies

A 2

dicta



dicta iterum recoquendi. Et si scriptiuncula haec nulla alia re se commendat, forte id efficiet variatio quae delectare dicitur. Sed si quaedam protulerim quae non omnibus numeris sint absoluta, aequi lectores rationem instituti aequo ac aetatis habentes ita sentiant velim, ut ea condonanda potius quam reprehendenda existimant. Haec pauca praefatus en obseruationes ipsas.

OBSERVATIO I.

Denegata insinuatio citationis subsidiariae non tribuit requirenti ius publicam decernendi citationem.

Citandus vel iurisdictioni iudicis citantis subest, et tunc immediate citari dicitur, quia sine alterius iudicis subsidio citationem ipsi insinuamus, vel sub aliena iurisdictione commoratur, in hoc casu huius iudicis subsidium requirendum est ad citationem insinuandam et cito dicitur mediata s. subsidiaria. Quod quidem subsidium licet iudex requisitus non facile recusabit, cum ad adiuuandam iustitiam tendat et in aequali casu ad idem auxilium praestandum iudicem requirentem sibi adstringat; fieri tamen potest ut iste ex aliqua causa citationis insinuationem deneget. Quid tunc faciendum queritur? Publicam i. e. edictalem tanquam remedium optimum atque tutissimum adhibendam esse plerique affirmant GAILIVS Lib. I.

Obf.

Obs. 56. n. 7. BRYNNEMANN Pr. Ciu. III. n. 20. item-
 que BERGERVS Oec. Iur. lib. IV. Tit. XIV. §. 1. not. 5.
 et quos hi laudant multi alii. Rationem adiiciunt quia
 priuata non potest sortiri effectum. Sed contrariam
 sententiam veriorem et legibus conuenientiorem esse
 censeo. Citatio etenim publica est solunimodo reme-
 dium extraordinarium atque subsidiarium quod nemo
 negabit, illud vero non prius adhibendum, quam si or-
 dinarium non exstet. Ast potest iudex adire principem
 vt alterum inique auxilium recusantem ad illud praef-
 standum adigat. Nec praeiudicium inferendum est par-
 ti, quae comparere citationi vult, facto tamen iudicis
 impeditur. Quod bene monet CARPOV. in Pr. Ciu.
 T. 7. a. 3. n. 16. seqq. et praeiudicio probat PHILIPPI
 ad Ord. Pr. Sax. Tit. IV. Conf. 8. §. 6. Deinde etiam
 periculosum est publica vti citatione, cum iudex, si ul-
 tra necessitatem eam decreuerit, semper a citato timeat
 actionem iniuriarum. Vnde MENCKEN in Proc. Iur.
 Comin. et Saxon. aliquique iudici suadent, vt priusquam
 adhibeat citationem publicam, collegium iuridicum
 adeat, et an istae locus sit consulat. Citatio enim publi-
 ca, licet in ea nil, quod contumeliam afferre possit,
 videam, vulgo tamen famae fugillare creditur; Idque
 vt HAYM in Stylo Curiae Lib. I. Tit. IX. §. 5. ait, „pro-
 pterea, quod vsus eam vagabundis, fugientibus, lati-
 tantibus, malitiosis desertoribus et extreme contuma-
 cibus propriam fecit, quorum numero ita citatus tac-
 te



„re accenseri videretur.“ Si ergo facilius tutiusque re-
medium adsit puta imploratio principis, cur quaeſo ade-
hibendam statuamus citationem publicam, tanquam re-
medium extraordinarium atque insuper periculorum? sq.
etiam in ratione et in causa et in iudicio et in sententiis
et in sententia et in iudicio et in sententiis

OBSERVATIO II.

*Citatio rite insinuata inducit praeventionem,
nec contrarium efficit consummatio rei
emanentis.*

Saepius accidit ut quis habeat duplex forum iudices-
que iurisdictione concurrente gaudeant. Quo in
casu cum cuilibet horum iudicium competat potestas
cognoscendi, is qui praeventionem exercet, reliquos a
cognitione excludit. Hoc eum effectum producit ut
cauſa apud eundem iudicem, coram quo semel est in-
cepta decidi debeat *l. 30. π. de iud. l. vlt. Cod. de in ius
voc.* nec auctor coram altero iudice contra reum experi-
ri, nec alter iudex licet aeque competens, aliquid com-
mittere possit, sed potius exceptio litis pendentis et
praeventionis ipsi obſtet. Haec praeventione variis mo-
dis inducitur, praecipue per citationem rite insinuatam.
Citatione enim s. in ius vocatio iudicij constituendi ini-
tium est atque fundamentum §. 3. *Inst. de poen. tem. li-
tig. l. 1. π. de Iudiciis.* Quod tamen omnino de iure no-
uissimo atque hodierno intelligendum, Bene enim scio
iure veteri in ius vocationis atque citationis longe aliam
fuisse

7

fuisse rationem quippe quo actionis instituenda quidem principium erat in ius vocatio, iudicij autem de-
mum litis contestatio *l. 15. π. de Procurat.* citatioque in termino ipso adhibebatur ut de partium praesentia constaret. Sed a Iustiniano per *Nou. 53. et 112.* noua citationis forma per apparitores introducta, aliter sentiendum. Cum quo etiam consentit Ius Canonicum *c. 20. X. de offic. deleg.* quod, uti notum, quoad formalia processus Iuri Romano praferendum. Quapropter non video qua causa commoti nonnulli ad praeuentio-
nem inducendam requirant, ut reus comparuerit cita-
tioni nec contumaciter emanserit, quod placet *Z. A N-*
G E R O de Except. p. 2. c. 3. n. 18. Sed profiteor leges,
quas ad confirmandam opinionem Vir doctus citauit
probationem nullam efficere; sufficit potius iudicium
per citationem emissam esse coeptum. Et ubi semel est
coeptum ibi debet finiri, *l. cit. vlt. Cod. de in ius voc.*
Cui accedit quod non solum de praeiudicio partium
sed ipsius etiam iudicis agatur. Non enim arbitrio rei
est relictum vtrum comparere velit, nec ne. Vterque
iudex respectu eius personae habet jurisdictionem com-
petentem: ne tamen causa coram pluribus tractetur iu-
dicij, disposuerunt leges, ut hoc in casu prior tempore
potior sit iure, et alias a potestate cognoscendi et de-
cidendi excludat. Cum igitur citatio a iudice compe-
tentie legitime insinuata efficiat, ut emanente reo in
contumaciam procedamus, nulla datur ratio, ex qua,

vt

■ ■ ■

ut comparitio rei inducat praeventiōnem probare possumus.

OBSERVATIO III.

Citatio domesticis insinuata parti, quam ignorantia defendit, non nocet.

Vt effectum oriatur citatio a iudice emissa, requiri mus potissimum ut rite sit insinuata et ex relatione nuncii iurati vel alio modo id probari possit. Quae quidem insinuatio, non solum principali ipsi, sed eo etiam absente, domesticis fieri potest, dummodo sint tales, quos leges ad hunc numerum referunt. Ab hac insinuatione dependet vnicē poena contumaciae, et reus cui comparitio sub praeiudicio iniuncta, neglecto officio, in praeiudicium citatione comprehensum incidit nisi ex causa iusta, quae restitutiōnem in integrum ex beneficio praetoris promeretur, se defendere possit. Non itaque dubio caret an si ex domesticorum negligentia haec citatio ad dominum non peruererit contumaciae locus sit an potius ignorantia eum liberet. Prius non nulli affirmant moti forsitan ratione, quod leges insinuationem domesticis factam pro legitima agnoscant, cui effectus haud sunt denegandi; sed ego posterius verius putauerim. Verlatur enim citatus in ignorantia facti alieni nempe iudicis citantis. Haec vero ignorantia nemini nocet immo prodest c. 13. d. R. I. in 6. Si igitur ne dolose agat, docue-

docuerit citationis ipsum nullam habuisse notitiam, quod per iuramentum fieri potest, non dubito quin a contumaciae poena sit liberandus. Iniquum enim foret aliquem inauditum propter negligentiam alterius condemnare et non delinquenti imponere poenam. Potius subueniet hac in causa parti clausula praetoris, si quae alia mihi iusta causa videbitur, quam **V L P I A N V S l. 18. verb. final. π.** Ex quibus caus. mai. ita interpretatur, ut cuilibet qui ex necessitate non ex voluntate afuit, subueniendum esse existimet.

OBSERVATIO IIII.

*Renovatio mandati quam Pontifex cap. 8. de
procur. in oto ex comparitione mandantis
colligit, non adaequato nititur
fundamento.*

Notissimum est illud Pontificis assertum in *cap. 8. de proc. in oto.* secundum quod procurator simpliciter datus tacite reuocatus censetur quotiescumque mandans postea ipse in iudicio comparuerit et causam suam traetauerit, nisi dicat expresse quod velit ipsum hoc non obstante in officio procuratoris manere. Id quod in foro multis magnisque contentionibus occasionem praebuit. Sed si rationem huius asserti quaeris, aut plane nullam aut talem inuenies, quae omni iuri est contraria. Quomodo enim ex hoc facto possumus colligere reuo-

B

catio-



cationem? Reuocatio est facti, hoc autem non praesumitur, sed ab allegante probandum est. Et si tacitam reuocationem adfirmare velimus, non quodlibet factum voluntatem denotat, sed liquidum, id est tale, ex quo contrarium non potest colligi requirimus, ut regula iuris, taciti eadem est virtus ac expressi, locum habeat. Aut quis me reprehendere poterit si dixerim mandantem potius animo adiuuandi procuratorem quam reuocandi mandatum comparuisse. Cum enim causa sit dubia, sententia naturae rei conuenientior praeualet, talis vero est ut tamdiu valeat mandatum quamdiu de reuocatione nondum liquido constat. Optime igitur LLator Saxonicus hocce caput *Iur. Can. in Ord. Proc. Recog. Tit. VII. §. 5.* abrogauit.

OBSERVATIO V.

Vsufructuarius per cessionem vsusfructus extraneo factam, non cadit iure suo.

Inter cacteros ususfructus amittendi modos plerique interpres ut CVIACIVS in not. ad §. 3. Inst. de Vsufr. GALVANVS de Vsufr. c. 38. NOODT de Vsufr. Lib. II. c. 10. referre malunt cessionem extraneo factam h. e. ei, qui non est proprietarius (nam si domino proprietatis cedatur, nullum est dubium quin statim amittatur

tatur §. 3. *Inst. de Vſuſr.*) Non equidem loquor de cessione fructuum atque emolumentorum, quae ex vſuſructu redundant, manente tamen iure apud cedentem, hoc enim ius vſuſructuario competit l. 12. §. 2. π. de vſuſr. Et ita intelligenda sunt verba **I V S T I N I A N I** in §. 1. *Inst. de Vſu et hab.* vbi differentiam inter vſum et vſumfructum demonstras dicit *nec vlli alii ius, quod habet aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: cum is, qui vſumfructum habet, possit haec omnia facere* quod ex Bachouio probat **V I N N I V S** b. l. Nec placet sententia 10. van der WATER in *Obſeru. Iur. Rom.* p. 311. seqq. qui hoc ius vendendi cet. et cessionem pro synonimis habet et inde vſuſructuario ius vſumfructum extraneo cedendi tribuit, citataeque §. 3. *Inst. de Vſuſr.* et legi 66. π. de iure dot. plane singularem et, vt ipſe confiteri debet, vltra modum fere subtiliem ſenſum affingit. Potius intelligo cessionem iſtam ſollennem in iure quae coram praetore peragi solebat, vbi omne ius in cessionarium transibat et tam in rebus mancipi et nec mancipi adhibebatur **V L P I A N . frag.** *Tit. 19. §. 9 seqq.* Neque legibus deſtitutam ipsorum ſententiam putant. Allegant nempe §. 3. *Inst. de Vſuſr.* et l. 66. de *Iure Dot.* Huic legi poenam inefſe ſibi persuadent ſecundum quam is qui cedere tertio veſtit, ius vſuſructus amittat. Sed re paulo accuratiuſ perpenſa eos egregie fallere appetet. Verum quidem eſt vſuſructuarium ius ſuum tertio cedere non posſe,



nam alias proprietas redderetur inutilis et *vſusfructus*
 nunquam reuerſurus eſſet ad proprietarium, ad quem
 tamen ex ſua natura tendit atque currit ut loquuntur.
 Attamen ſi *vſusfructarius* illum tertio cedere velit
vſumfructum non amittit. Grauifimum quidem ar-
 gumentum aduersarii deducunt ex *l. c. 66.* in qua
POMPONIUS diſertis verbiſ *Quoniam diximus* in-
 quirit *vſumfructum a fructuario cedi non poſſe niſi domino*
proprietatis; et ſi extraneo cedatur i. e. ei, qui proprie-
tatem non habet, nihil ad eum tranſire ſed ad dominum
proprietatis reuersurum vſumfructum. Hanc legem
 ſolummodo ſecundum verba interpretantur, nec in
 memoriam reuocant dictum **CELSI** *l. 17. π. de legib.*
Scire leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac
poteſtatem. Ex intentione vero dicentis aliam valere
 interpretationem peritiores iam diu animaduerterunt.
 Explicant eam cum aliis **BALDVINV S** et **HOTOMANVS** ad *§. c. Inst.* de tempore futuro, quo
 etiam vtitur Pomponius in citatis verbiſ, nempe
vſumfructum non reuerti ad proprietarium ob tenta-
 tam cessionem nunc, ſed ſuo tempore ut morte *vſu-*
fructuarii vel alio caſu. Elegantem porro interpretationem
 ſuppeditat **RETE S** in *Miscell. L. I. c. XX.* di-
 cens haec verba non generaliter eſſe accipienda de
 omni caſu quo cefſio *vſusfructus* tertio fit, ſed ſo-
 lummodo de caſu ſpeciali a Pomponio in hac lege
 proposito, ſcilicet de *vſusfructu* non ſimpliciter con-
 ſtituto,

stituto, sed in caussam dotis. Nam cum soluto matrimonio apud maritum non remanere, quia nulla caussa dotis adest, neque mulieri tanquam tertiae cedi possit ob §. 3. *Inst.* consequeretur ut ad dominum proprietatis reuertatur in hoc casu. Quod tamen non ad alios casus extendendum. Sed si meam hac de re sententiam dicere liceat, priorem praetulerim. Vtitur enim omnino ratione generali ICtus non speciali quam etiam iam alias attulit, vt ex verbis *quoniam diximus* apparer. Mihi videtur Pomponius, nulla ratione amissionis habita, nil aliud dicere voluisse quam hoc vnicum: *Vsumfructum extraneo cedi non posse*, quia alias, vt dixi, proprietas inutilis foret. Verba clara sunt: *Vsumfructum cedi non posse nisi domino proprietatis et ad hoc explicandum addit: et si extraneo cedatur nihil ad eum transire:* hoc fluit ex prioribus. Si ergo tertio cedi non potest, nil naturae conuenientius est, quam quod ad proprietarium reuerti debeat, quod tamen omnino de casu habili existente intelligendum est. Optime totam rem explicat §. 3. *Inst.* de *Vsufi*. vbi Imperator dicit *cedendo extraneo nihil agit vel ut melius habet THEOPHILUS εξωτικῷ γάρ παραχωρῶν οὐδὲν πρόττει, ἀλλὰ ἀγενέγητος ἐστιν η παραχωρησις nam extraneo cedens nihil agit, sed inefficax est cessio.* Et licet in hac lege nobiscum consentiat NOOTIUS, putat tamen hoc iudem iure nouo Iustinianeo introductum. Sed iu-



re veteri non aliter erat ac iure nouo. Loquitur de iure veteri PAVLVS lib. 3. sent. Tit. 6. §. 28. et 32. sed de cessione in extraneum tanquam modo amittendi usumfructum nil memorat, solummodo hoc statuit de cessione domino proprietatis facta. Respondet quidem NOOTIUS hunc modum Paulus tacendo non negasse: Sed omnino si extitisset huius loci erat eum adiicere. Quod cum non fecerit merito a contrario concludere possumus. Et sic etiam IVSTINIANVS Einitur ait ususfructus si domino proprietatis ab ususfructuario cedatur et huic amissioni opponit: nam cedendo extraneo nihil agit. Quod ita clarum, ut mirer, quomodo de re tam perspicua adhuc disceptari possint docti. Si ergo cedendo extraneo nihil agitur sed ineficax est cessio, totus actus frustraneus est ut recte sentit OTTO §. c. Inst. tam respectu ususfructuarii quam tertii, id quod etiam verbum nihil agere indicare ipse demonstrat ex auditoribus tam iuris quam aliis. Quod autem nullius est momenti illud neque lucrum neque damnum in aliquem transfert l. 25. §. pen. π. de Usufr. Cum igitur nulla lex adsit, quae in hunc casum poenam amissionis statuat, poenalia autem non sint extendenda nostrum non est ut lege tacente poenam fingamus. Nou. II. cap. 3.

OBSER.

OBSERVATIO VI.

*Recte remittit cautiem vſufructuarium
testator nec leges contrarium
ſtatuant.*

Duplex est vſusfructus. Alter in rebus non fungibilis, qui verus, alter circa res quae vſu consumuntur, qui quaſi vſusfructus dicitur. Sic etiam cautio, quam vſufructarius proprietario maioris securitatis cauſa praestare tenetur, duplex est et in utroque diuersa. In vero vſufructarius cauere debet, ſe vſurum boni yiri arbitratu et cum vſusfructus ad eum pertinere definet, restitutum quod inde exſtabit l. i. §. i. π. quemadm. vſufr. cau. In quaſi vſufructu autem, cum hic non niſi in abutendo vel consumendo conſifat, nec ideo prior cautio ad illum poſſit applicari, ſe finito vſufructu aut rem eiusdem quantitatis vel qualitatis aut eius aeftimatio- nem eſſe restitutum §. 2. Inſt. de Vſufr. l. 7. π. de Vſufr. ear. rer. Quae quidem cautiones an per- neant ad ſubſtantiam vſusfructus, diuīſae ſunt ICto- rum opinioneſ. Vtramque, inprimis cautionem quaſi vſusfructus, cum ille per eam conſtitutus eſſe dicatur §. c. Inſt. plerique ad eius ſubſtantiam ſ. ſaltem formam pertinere volunt cfr. SCHILTER. in Pra- xi Iur. Rom. COCCEIUS in Iure Controu. Sed fal- ſam

sam esse eorum sententiam inde appareat, quod vtraque possit remitti saluo vsusfructus iure. Quod vero ad substantialia vel formam alicuius negotii pertinet, id saluo eo remitti non potest. (Vnde etiam nonnulli semel recepta sententia; eam ad illius substantialiam pertinere; cautionem nullo modo remitti posse sibi persuadent) Consistere autem posse vsumfructum sine cautione nullo dubio laborat. Probat hoc in vero, praeter vsumfructum legitimum, remissio ab herede facta; quam potestatem huic, paucis exceptis omnes concedunt. Est enim in eius fauorem introducta; quilibet autem fauori suo potest renunciare nec alicui beneficium inuitio obtruditur. Etiam in quasi vsufructu cautionis omissae mentio fit in l. 5. π. de vsufr. ear. rer. quod non solummodo de cautione ex negligencia omissa intelligendum esse puto, sed et de remissa. Ita etiam omittere hereditatem idem est ac repudiare. Omittere enim generaliter est praetermittere, deserere vel negligere aliquid eorum, quae agi, fieri, exerceri poterant cfr. BRISSONII et VICAT Lexica s. v. *omittere*. Ast maxime necessariam esse hanc cautionem, si a proprietario exigatur, vt recte monstrat PEREZ ad Cod. tit. de Vusufr. non potest negari et ex eo patet, quod cautione nondum praesita actionem praetor ad consequendam rem vsufructuariam deneget l. 13. pr. π. de vsufr. Sed etiam si in quibusdam casibus haec cautio recte remittatur,

tatur, tamen an hoc etiam sit indulgendum testatori magna inter ICtos est disceptatio. Plurimi tantum, non omnes ipsi hanc potestatem negant *cfr. c o c. CEIV's in I. Contr. BRVNNE MANN. ad l. 7. C. vt in poss. leg.* et tam rigorosi sunt, ut huic remissione nullam quidem vim tribuant, licet poenam adiecerit in casum contrauentionis *GAILIVS Obsrv. lib. II. Obs. 148. n. 5.* Nam eo ipso dicunt, ususfructuarius inuitatur ad delinquendum et praeiudicium infertur heredi, in cuius tamen utilitatem haec cautio est introducta. Haec sententia promereri videtur applausum, si rem oculo fugitiuo consideres: praesertim cum afferant, *l. 7. C. vt in poss. leg.* vbi rescribit Imperator: *Scire debetis, fideicommissi et legati satisfactionem remitti posse, Diuum Marcum et Diuum Commodum constituisse; vt autem boni viri arbitrari is, cui ususfructus legatus est, utatur fruatur: minime satisfactionem remitti testamento posse.* Attamen contrarium defendi posse mihi videtur. Nam primum nescio, an remissio cautionis a testatore facta, ut aduersarii volunt, ad delinquendum inuitet; alias enim nec ipse heres, quod, ut supra dixi, tamen concedunt, posset eam remittere. *Quod iam BRVNNE MANN V S l. c. contrariam tamen sententiam fouens, intellectus, et ideo hanc solam rationem non concludere existimans, alteram, quod remissio cautionis a testatore facta tendat in praeiudicium heredis et fraudem legis, cum illa*

C

■ ■ ■

illa stricte coniungendam esse dicit. Non magis me mouet quod obiiciunt, heredem cautionem remitten-
tem posse arbitrari cum quo sibi negotium sit, et an
deteriorationem metuere debeat, quod non item te-
stator; sed certo testator, nisi integritatem vusufructuarii
habuisset expertam, nunquam remisisset cautionem. Nec
video, quale praeiudicium eo inferatur heredi, cum
si abutatur re vusufructuarius, alia ipsi salua sint reme-
dia iuris: imo aequae ac si ipse remisisset cautionem,
eam adhuc possit condicere *sec. l. 7. ff. Vusufr.*
quem. cau. de quo casu etiam, ut infra docebo, agit
l. c. 7. vt in possess. Potior ratio decidendi pro mea
sententia, est ultima voluntas testatoris, quae instar le-
gis est *Nou. XXII. cap. 2.* et nisi sit contra leges vel
bonos mores *l. 55. l. 112. §. 3. π. de legat.* *I.* quo-
rum neutrum tamen hic adest, seruanda. Respon-
sio aduersariorum, testatorem non posse cauere, ne le-
ges in testamento suo vim habeant, vera quidem est,
sed adesse leges, quae hanc remissionem penitus im-
probent, constantissime nego. Et recte porro hic
conclusio valet a maiori ad minus. Poterat enim
omnino testator legare vusufructuario proprietatem
ipsam, cur non remittere cautionem vusufructua-
riam? Quam maxime autem huic sententiae obsta-
re videtur *l. 7. C. vt in poss. leg. et l. 1. C. de usufr.*
Quae quomodo cum hac sint conciliandae, iam de-
monstrabo. Vtraque est lex singularis, puta Rescri-
ptum.

ptum, quorum interpretatio quam sit lubrica satis constat. Continent enim semper casuum specialium decisiones ad litteras supplices partium factas; quae cum non rationes generales contineant, interpretationem extensiuam haud admittunt, nec aliter sunt applicanda, ac si idem casus iisdem circumstantiis occurrat. Sed quam saepe scire, nobis licet hunc casum cum plerumque rescripta eius nullam mentionem faciant? Quapropter illi accurate ex verbis legis sunt eruendi, nisi quid contra analogiam iuris statuere velimus. Quod igitur ad legem priorem attinet, rescribit ibi Imperator: *ut autem boni viri arbitratus, cui usufructus relictus est, utatur fruatur, minime satisfactionem remitti testamento posse.* Hoc quidem sic explicant nonnulli quod, cum duo sint cautionis membra de *utendo re boni viri arbitratus et de restituenda ea finito usufructu*, imperator autem unum tantummodo memoret, remitti quidem possit membrum posterius, non autem prius *de utendo boni viri arbitratus*. Hos deridet NOOTIUS c. l. putans sub hoc primo cautionis membro etiam comprehendi alterum. Non tamen omnino reprehendendi mihi videntur, si rem ita consideres. Duo scilicet habet remedia proprietarius omissa cautione, aut rem vindicare, aut cautionem adhuc exigere potest l. 7. pr. π. *Quem. usufr. si usufructarius re abuti incipiat.* Quod ius etiam heredi competere puto,



licet testator cautionem remiserit, et ad hoc respiciunt verba legis: *vt boni viri arbitratu vtatur, satisdationem remitti non posse.* Casum sic pono: Testator Caio reliquit proprietatem aedium, Titio cautione remissa eorum vsumfructum; tradit Caius nulla intercedente cautione Titio aedes ad vtendum fruendum. Postea, remissa cautione forte incitatus, incipit Titius abuti aedibus; venit ergo proprietarius et maioris securitatis caussa constante adhuc vsumfructu cautionem vult condicere. Huic replicat vsumfructuarius testator mihi remisit cautionem, nec eam praestare vult. Hoc ad imperatorem perfertur, qui rescribit: *vt boni viri arbitratu vtatur — testamento remitti non posse* i. e. omnino vsumfructuarium praestare adhuc teneri cautionem, quia testator remissa ea non voluerit, nec potuerit efficere, *vt vsumfructuarius re non vtatur boni viri arbitratu*, imo *vt abutatur*. Nam remissio cautionis *vt PEREZ c. l.* ait, semper in se habet tacitam conditionem, si scilicet recte vtatur fructuarius: nec ergo praeiudicari potest eo proprietario quin ad exigendam adhuc cautionem habeat regressum. Et sic vera eorum sententia, qui putant hocce membrum de *vtendo re boni viri arbitratu* tantummodo remitti non posse. Quod ad alteram legem attinet, quae est *l. i. C. de Vsumfr.* illa huic sententiae non est contraria; non enim agit de cautione veri vsumfructus, de cuius remissione vulgo solum contentio est,

sed

■ ■ ■

sed de quasi vsufructu et quidem de parata pecunia. Sed cum et hanc remitti posse putauerim, non displicet mihi sententia, quae proponitur in COLLEGIO ARGENTORATENSI Lib. 7. t. 9. §. 7. Est enim hic quaestio etiam specialis, quae generali non praeiudicat. Quaeritur enim, non an in genere haec cautio remitti possit, sed, cum in vsufructu omnium bonorum testator prohibuisset cautionis exactionem, et! vsufructuarius quoque nollet praefare cautionem ex SCto, an sub generali remissione etiam cautionem ex SCto remisisse videatur testator? Respondet Imperator quod non. Ergo si specialiter esset remissa, non dubito quin valeret, saluis tamen remediis quae leges et hic proprietario concedunt v. l. 5. π. de Vſufr. ear. rer. Ast multis difficultatibus hanc sententiam premi non potest negari; contrariam quoque in foro esse receptam probat STRYCK in *Vſu Mod. f. t. Vſufr. quemadmodum.*

OBSERVATIO VII.

*Qui homini sciens perdituro pecuniam dedit,
actionem ad repetendum non
amittit.*

Non facile quis tam parum rei suae prospiciet, ut homini, quem luxuriosum esse atque omnia



sua bona perdere scit, pecuniam credat. Attamen ICti disceptant an si quis huic, qui tamen valide contrahere potest, crediderit, contra ipsum actio ad repetendum locum habeat? Id quod vulgaris sententia ex male intellecto sensu l. 12. §. n. π. Mandati negat et creditorem creditum suum amittere dicit. Consentirem cum illis, qui huic sententiae sunt additi, si rei huius fundamentum ex principiis sanae rationis deducerent; nam difficilis erit repetitio ubi nihil adeat: sed cum legibus hoc probare conentur, penitus dissentio. Minime enim l. c. agit de mutuo cum tali homine contracto, sed de eo, qui turpe quoddam negotium vi mandati suscepit. Adit ICtus tantum ad rem illustrandam: *quia simile est quasi perdituro sciens pecuniam credideris.* Sed cur hic nil potest repetere? *quia talis omnia perdit et ideo nihil habet, non quia leges hoc prohibent.* Distinctione exhibita totum dissidium componendum puto. Si scilicet adhuc aliquid habeat in bonis debitor, tunc non intelligo cur creditori sit deneganda actio ad repetendum. Habebat enim liberam rerum suarum administrationem et cuicunque volebat, poterat credere. Accipiens potius versatur in dolo, qui nemini patrocinatur, nec alter damno meo potest fieri locupletior. Tertius agit creditor si huic homini, non nisi exhibito chirographo credit; sic enim ex hoc eo facilius poterit agere, et si quid adsit, repe-

repetere. Sed nulla ipsi actio datur, vel inutilis ea esset, si constat debitorem nihil habere in bonis.

OBSERVATIO VIII.

*Creditor vt ante tempus debitum recipiat
inuitus cogi nequit.*

In rebus creditis aut tempus solutioni est praefinitum aut non, si nullum tempus definitum, potest creditor quandocunque velit, creditum repetere, quod aliter si certa dies adiecta, tunc enim non nisi dies venierit petere potest. Sed si debitor ante diem debitum, solutis tamen simul usuris quas usque ad tempus definitum debebat, aliter enim hoc in damnum creditoris facere non potest, creditori velit offerre, an id inuitus etiam accipere teneatur quaeritur? Et vulgo id affirmant ex ratione quia dies adiecta est in fauorem solius debitoris, ne creditor antea eum possit interpellare: at quemlibet fauori pro se introducendo renunciare posse notum est. Id quod legibus etiam fundatum existimant, quia in *l. 50. π. de obligat. et act. l. 38. π. §. inter de V. Obl. l. 70. π. de solut.* totum tempus intermedium debitori liberum esse dicitur ad soluendum cfr. CARPZOV. *P. III. Conf. 28. def n.* Sed magis placet sententia CVIACII ad d. *l. 38. de V. O.* qui hoc negat, et ante diem non nisi volenti solui dicit. Et hoc verum est.

Nam



Nam semel ita pactum est inter creditorem et debitorem, nec vna pars, inuita altera, a pacto potest recedere. Dies etiam tam in fauorem creditoris quam debitoris est adiecta. Debitor enim ante dieni non potest cogi, et creditor adhoc usque tempus de sorte sua securus est nec periculum timet. Si ante tempus creditori offeretur, debitum, omnino graue onus sentiret creditor quia illud non statim iterum possit bene collocare. Nec leges dicunt inuito creditore; concedunt quidem liberam potestatem debitori ad soluendum, sed intelligendum, si accepturus sit creditor. At ut non facile hodie quis erit, qui creditum sibi oblatum etiam ante tempus denegabit, sic ex principiis practicis hoc quoque inuitus accipere cogitur v. CARPZOV. cit. loc.



ULB Halle
003 935 957


3



56.







Observationum Iuridicarum

Specimen Academicum
scripsit

E T

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

S V B P R A E S I D I O

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERI

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.
CVRIA IN PROVINCIA SUPREMAE NEC NON FACVLT.
IVRID. ASSESSORIS ET ACADEMIAE
DECEMVIRI

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

A. D. XXX. SEPT. MDCCCLXXIII.

AD DISPUTANDVM PVBLICE PROPOSIT

C A R L G O T T L O B G Ü N T H E R

L V B B E N A L V S A T.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A